

frequentando facile a Dei gratia excident, et huic tanto damno parentes consulere debent. Dicant etiam quod ipsi peccant si sine justa causa filios a matrimonio aut a religione averunt, aut eos ad matrimonium invitos cogunt, sicut contra peccant filii qui matrimonio junguntur, parentibus juste dissentientibus: vide quod dicemus de sponsalibus *Tr. 18. n. 10.*

42. 12. Cum verum sit, ut supra diximus, quod parochus non solum tenetur impedire malum, sed etiam ad promovendum bonum, hortetur populum ad visitationem SS. Sacramenti, et beatiss. Virginis. Hanc visitationem potest ipse in communi cum populo obire, ut moris est in pluribus regionibus. Et dicat quod, qui ad ecclesiam convenire nequeunt, saltem in domo hanc faciant. Maxime insinuet ut congregationem homines frequentent, et omnes Communionem, pravia preparatione, et subsequentibus gratiarum actionibus per actum fidei, amoris, oblationis, et petitionis, docendo eos modum practicum, quo fieri debent.

43. 13. Curet saepe ut populus singulari studio SS. Mariae devotionem prosequatur, insinuando quanta sit ejus potentia et misericordia erga suos devotos. Idcirco insinuet ut recitent rosarium in communi quotidie una cum familia, ut jejurent sabbato, et celebrent Novenas septem festivitatum, quas ex altari annuntiet populo, quoties aliqua Novena accidit. Expediet propterea, ut sabbato ille conciunculam faciat, narrando aliquod exemplum beatiss. Virginis, et semel in anno celebret aliquam Novenam solemniorem cum sermone, et expositione Venerabilis, et propterea uti poterit inter ceteros libro, quem typis edidi, cui titulus: *Glorie di Maria*, ubi collectam reperiet materiam et exempla. Felix ille parochus, qui suas oves ferventes tenet erga devotionem SS. Mariae, nam illae, Virgine opitulante, recte vivent, et advocatam in vitae exitu potentem experientur.

44. Tandem potissimum insinuet usum petitionis, nempe ut saepe se Deo commendent, ab eo praesertim sanctam perseverantiam postulando propter Jesu et Mariae amorem: saepius explicando quod divina gratia, et praecipue donum perseverantiae non obtinentur, nisi petantur: *Petite et accipietis*. Et publicet saepe illam magnam Jesu Christi promissionem, quod quicquid Patrem petierimus in ejus nomine, Pater dabit nobis: *Amen amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis Joan. 16. 23.* Insinuet etiam instanter usum orationis mentalis, et curet faciendam in ecclesia una cum populo quolibet die, aut saltem quolibet die festo: docendo etiam modum quo fieri potest domi. Modus practicus orationem mentalem faciendi ponetur in *Appendice Prima, De directione animarum spiritualium, n. 2. ad 5. et append. 4. §. 3.* Sed hic mihi concedatur conceptum animi dolorem foras aperire. Proh magnam infelicitatem! Quam pauci sunt illi parochi et confessarii, qui curam hanc sibi suscipiunt insinuandi suis poenitentibus hoc tam magni momenti exercitium orationis mentalis, sive meditationis, sine quo valde difficile est animam posse perseverare in Dei amicitia, et impossibile est in viam perfectionis se immittere. Si aliqua attentio in hac re adhiberetur, quot animae viderentur in Dei amorem accendi! Sed hoc quis non operatur, ne sibi aliquid incommodi suscipiat: alius ne stimulus suae exprobrantis conscientiae sentiat in suadendo aliis bonum, quod ipse negligit. Summa haec est, quod cura hoc non est, quia parum diligitur Jesus Christus. O si parochi, et confessarii multum diligerent Jesum Christum, a quot eficerent ut amaretur, et eos ab inferno liberarent! Igitur exprobrandus Dominus est ut, si velit amari ab animabus, faciat se amari a sacerdotibus.

45. Praeter descriptas obligationes,

quae sunt principales, supersunt aliae parochi, quae etiam non sunt minores. 1. Tenetur ipse ceteris esse bono exemplo. Pastor enim est illa lucerna *lucens et ardens*, quae in Evangelio describitur, ardens zelo sancto in interno, et lucens bono exemplo in externo. Secus ipse praedicet, et moneat alios pro viribus, quantum velit ad incedendum per virtutum semitas, nisi ipse praecedat exemplo, subditi ne fidem quidem praestabunt iis, quae ipse dicit: nam homines *magis oculis, quam auribus credunt*, ut loquitur Concil. Urcellense (*Tract. 3. de offic. cler.*) 2. Debet sedulo assistere moribundis et praesertim peccatoribus habitualis, qui peculiari assistentia magnopere indigent. Verum est quod parochus potest hanc assistentiam committere aliis sacerdotibus, sed non debet fidere cuilibet sacerdoti; nam in hac occasione assistendi moribundis possunt accidere scandala non mediocris damni. 3. Tenetur succurrere pauperibus ex parochiae redditibus, qui supersunt, deducto tamen suo, et etiam suorum (si ipsi vere sunt pauperes) alimento. Observetur in hoc quod dicitur. *Tract. 13. cap. 3. punct. 2. de beneficiis, a n. 45. ad 49. 4.* Tenetur diligenter examinare obstetrices, si ipsae sciunt quod ipsas oportet scire ad conferendum Baptismum infantibus in casu necessitatis, ut habetur in Rituali rom. *de bapt. pueris*; nam talis casus saepe potest eis accidere, ideoque sub gravi ipsae tenentur scire administrare Baptismum, ut dicunt s. Antoninus, Reginald. Aversa, etc. (1). Praeterea parochus debet observare circa Baptismum quod praescribit parochis Rituali rom., nimirum 1. Ut notent in libro distincto nomina baptizatorum, parentum, et patrinorum. 2. Ut admoneant paternos de cognatione, et de eorum obligatione contracta. 3. Ut admoneant matres, et nutrices, ne secum accumbere faciant

(1) Lib. 6. n. 117. v. quoad.

pueros. Nihilominus adnotant Barbosa Anacl. et Tournely, et alii communiter, talem obligationem cessare, si omne periculum cessaret, v. g. si lectum fuisset spatiosum; et puer ceteroquin ob frigus quiescere non posset, et mulier soleret suum situm dormiendo retinere (2).

Notandum ultimo quod Benedictus XIV. in Const. 9. edita die 23. Decemb. 1740. incipiente, *Ad Passionis, etc.* Bullar. tom. 1. mandat in virtute s. obedientiae omnibus parochis, sive rectoribus, etc. ut singulis feriis sextis hora tertia post meridiem in omnibus ecclesiis cathedralibus, et parochialibus campanam pulsare faciant, ut fideles lucrari possint indulgentiam centum annorum, recitando flexis genibus quinque *Pater* et *Ave*, et orando juxta intentionem Pontificis.

46. Tandem a bonis parochis pendunt boni mores, et salus populorum. Si in regione bonus parochus adest, ibi videbitur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis, et bonum exemplum; sin autem parochus erit pravus, tota regio vitiiis et scandalis redundabit.

PUNCTUM II.

DE EPISCOPI MUNERIBUS

47. *De Ordinatione.*
48. *ad 1. Ordinandi debent probari in spiritu.*
52. *Et in doctrina.*
53. *De seminario ad id instituto.*
54. *II. De parochorum delectu.*
55. *Quae istis Episcopus insinuare debet. Hic sermo fit de puellarum congregatione.*
56. *De confessariorum electione, sermo fit de academiis*
57. *De congregationibus particularibus ecclesiasticorum.*
58. *Debet invigilare super Missarum celebratione.*
59. et 60. *III. De visitatione.*
61. *IV. De cura Monialium.*
62. *V. De residentia.*
63. *VI. De correctione.*
64. *VII. De elemosyna.*
65. et 66. *De Missa, de aditu pate-*

(2) Lib. 6. n. 160

faciendo ad se concurrentibus. et de exemplo præcipue circa mansuetudinem, paupertatem, orationem, eto

47. Pluribus aliis oneribus præ parochis Episcopus tenetur. Præ cæteris i. Circa ordinationes clericorum tenetur eligere in altaris ministros, dignos dumtaxat, et excludere indignos: s. Franciscus Salesius contremiscebatur, dum hanc obligationem perpendebat, ideoque sanctus neminem ad Ordines admittebat, quem bona vita non comitabatur, nulla in hoc habita ratione commendationum, nobilitatis, nec doctrinæ subjecti; dum doctrina, quæ malam vitam sociam habet, majori detrimento est, quia vitio auctoritatem adducit. Unde fiebat quod pæccos promovebat, prout hodie fatitant boni Episcopi; cum pauci sunt, ut veritatem fatear, qui sacerdotio inilientur ex vera vocatione, et ut gloriam Deo præsentent, et hinc fit quod pauci sacerdotes sunt, qui boni evadant, et utiles animabus. Dicebat ipsemet Sanctus non esse Ecclesiæ necessarios multos sacerdotes, sed bonos.

48. Duo debet Episcopus examinare in iis, qui ad Ordines anhelant, spiritum et doctrinam. Circa spiritum et mores parum totus est ille Episcopus, qui attestationibus parochorum confidit. Hæ plerumque fiunt ob humanos respectus. Nec Episcopus potest tantum acquiescere soli bonitati negativæ Ordinandi, ut dicitur. Thomas, nempe quod nihil sciat mali de illo, sed oportet ut ejus bonitatem positivam cognoscat, tales notitias habendo, ut sufficientia præsentent judicia, quod ille vero spiritu Ecclesiæ sit donatus. Dicit s. Paulus (1. ad Tim. 3. 6.) oportere sacerdotem (qui etiam sub nomine Episcopi comprehenditur a ss. Patribus, ut a s. Ambrosio, s. Joanne Chrysostomo, s. Thoma, et aliis) non esse neophytum; nimirum, ut explicat Angelicus, non solum ætate, sed etiam perfectione. Quare ait Trident. Sess.

23. c. 12. eos tantum debere assumi ad Ordines sacros, quorum probata vita senectus sit, significans eos bono habitu debere esse dotatos, et debere esse senes in virtute, juxta illud Sapientiæ 4. 9.: *Ætas senectutis vita immaculata.* Propter a Episcopi zelantes non firmare solent supplices libellos, nisi prius secreto certi facti fuerint de eorum morum probitate a pluribus personis. de dignis, quæ noscunt subjectum. Advertatur hoc attente, quia hoc est medium valde efficax, imo necessarium Episcopo, ut tutam faciat suam conscientiam in Ordinationibus, quas habet. Ex his enim secretis cognitionibus Episcopus potest certus fieri non solum si clericus ludis, insolentis, pravis consuetudinibus sit aliis scandalo, sed etiam si positive vitam spiritualem agit; ecclesias, orationem, Sacramenta frequentando, si solitarie vivit, aut saltem cum bonis sociis comitetur, si studio dat operam, si modesto habitu, et sermone incedit, et hujusmodi. Et si forsitan notitiam habeat de scandalo positivo alicujus, tunc non debet sibi satis esse ordinariam probationem exigere, sed multorum annorum resipiscentiam observare debet: cum suspicio rationalis tunc suboriatur, quod omne ab eo simulatione fiat, ut Ordines assequatur.

49. Juxta primævam Ecclesiæ disciplinam ei, qui in unum mortale lapsus fuisset, aditus ad Ordines penitus præcludebatur, ut testantur s. Hieronymus, s. Isidorus, et alii. Deinde aliquibus post sæculis excluderentur perpetuo ab Ordinibus saltem illi, qui ob aliquod grave facinus diffamati fuissent. Concedimus hac nostra tempestate tantum rigorem non ubique practicari; nihilominus certum est (ut supra vidimus) nullum posse admitti ad Ordines, qui prius in virtutibus probatus non sit et præcipue in diuturna continentia quam ordinati in Sacris profiteri debebant. Habemus in cap. Nullu

dist. 25. ex s. Gregorio. Nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium veritè approbata, lib. 1. epist. 42. Et requirit s. Pontifex, ut hujusmodi probatio habeatur a multis annis, dicens: Ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant prius aspiciatur si vita eorum continens ab annis plurimis fuit. Hanc eandem probationem requirit Trident. Sess. 23. c. 13. de ref. dum præscribit Ordines sacros non conferri nisi iis, qui in minoribus Ordinibus probati sunt, nimirum quorum bonæ vitæ experientia habeatur.

50. Summa igitur hæc est, quod non potest dubitari, quin Episcopus graviter peccet admittendo ad Ordines sacros indignum; indignus autem est quicumque sufficientem probationem non dedit de sua positiva bonitate. Rationem affert s. Thomas dicens (1): Ad Ordinem sacrum requiri majorem sanctitatem, quam ad statum religiosum, quia per sacrum Ordinem deputatur ad dignissima ministeria. Et alibi (2): Sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sunt merito sanctitatis. Itaque juxta s. Thomam sicut clerici per Ordinem sacrum, quem suscipiunt, elevantur ad gradum superiorem super populum christianum, ita debent reperiri superiores merito sanctitatis. Ideoque asserit quod opus habent eo gratiæ gradu acquisito (intelligitur certe de gratia non gratis data, scilicet de illa, quæ nos gratos Deo facit, quia hoc solum meritum sanctitatis producit) quæ eos dignos reddat, ut inter Jesu Christi ministros annumerentur: *Et ideo præexigitur gratia, quæ sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebem Christi.* Deinde concludit Sanctus quod non sufficit Episcopo ordinanti, ut aliquem ad Ordinem sacrum promoveat, si nihil mali sciat, sed etiam debet esse certus de probitate Ordinandi: *Sed*

(1) 2. 2. q. 184. a. 8. — (2) Supp. q. 35. a. 1. ad 3.

exigitur amplius (sunt Angelici verba) ut secundum mensuram Ordinis vel officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum. Et ad hanc rem adducit auctoritatem s. Dionysii, qui dicit neminem in ministrum Divinorum (sicut est sacerdos) audere assumi, nisi per diuturnum habitum se Deo conformem cognoscat: In divino omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit deiformissimus, et Deo simillimus.

51. Præterea, sicut peccaret Ordinandus, si probitate positiva carens nempe habitu bonæ vitæ jam acquisito, vellet in sacris Ordinibus initiari, saltem ob periculum, cui se exponit non sustinendi onus, quod suscipit ferendum, et præcipue celibatus, sine Dei vocatione, quam certe tunc non est præsumendum habere; ita tanto magis peccaret Episcopus, qui eum ordinaret, si suæ emendationis non præcederet diuturna probatio. Ait s. Thomas (3): *Ordines sacri præexigunt sanctitatem, unde pondus Ordinum imponendum parietibus jam per sanctitatem desiccatis.* Adducit s. doctor similitudinem fabricæ, dicere volens quod, quemadmodum parietes recenter elevati pondus grave sustinere nequeunt; ita iis, qui paulo ante mores mularunt, et adhuc ab humore vitiorum purgati non sunt, non est imponendus sacer Ordo, qui secum affert debitum perpetuæ continentiæ, et vitæ exemplaris, quam ministrum altaris decet. Itaque Episcopus sacrum Ordinem indigno conferens, duplici titulo peccat: peccat quia suo muneri deest, et peccat quia cooperatur omnibus peccatis, quæ ille committet, et causa erit ut alii etiam peccent. Hoc idem innuit s. Paulus (1. Timoth. 5. 22.) cum dixit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Super quem textum postea dixit s. Leo: *Quid est com-*

(3) 2. 2. q. 189. a. 1. ad 3.

municare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari?

52. Hactenus circa spiritum, transeamus nunc ad doctrinam, quæ requiritur in eo, qui sacris Ordinibus initiari postulat. Ignorantia in ecclesiasticis non solum sibi, sed etiam aliis nocet; et quod pejus est, ignorantia in sacerdotibus est malum, cui nullum remedium invenitur, ut dicebat s. Franciscus Salesius, aut quia semper incapaces persistent, aut quia, accepto sacerdotio, difficulter cogi poterunt ad studendum. Debet ideo Episcopus maxime curare ut inspiciat an qui postulat promoveri, sit bene edoctus, et an sit studii cupidus: dum qui studii non est amator, nunquam idoneus erit Ecclesiæ, imo necessario erit pravus, nam (ut dici solet) otium est pater vitiorum. Propterea Prælati non sibi satis habeat examen quod plerumque solet fieri circa requisita ad Ordines, et super alias res consuetas, quas Ordinandi discunt in aliquo liberulo, sed, postquam ordinati sunt, remanent indocti, uti erant antea. D. Fabricius de Capua fel. rec. Archiepiscopus Salernitanus in suis Ordinationibus, et præsertim sacerdotum, suos Ordinandos examinari faciebat super tota morali. Scio etiam alium Prælatum (Episcopum vigilantem), qui etiam a clericis circa moralem examen exigebat, unicuique Ordini assignando tractatus, quos scire debebant; itaque ad sacerdotium ascendentes tota morali ita callebant, ut ad confessiones audiendas quisque idoneus reperiretur. O utinam et omnes Episcopi has semitas tenerent, non audirentur utique tot conquestus, uti plerumque audiuntur, quod non invenitur cui confesarii officium committatur! Sed dicit aliquis Concilium Tridentinum non exigere tantam scientiam ab Ordinandis. Sed respondeo quod non prohibet e contrario Concilium, quominus Episcopus id exigat a suis Ordinandis (ut

loquuntur pp.), cum videt talem esse suæ diœcesis necessitatem. Tum etiam Concilium tantum statuit quod, si talis scientia desit, ad Ordines nemo promoveatur, non autem præcepit ut, qui tali scientia præditus esset, ab Ordine repellere non possit. Sed loquendo etiam juxta Tridentinum Concilium Sess. 23. c. 14. dicit quod promovendi ad sacerdotium *ad populum docendum... ac ad ministranda Sacramenta diligenti examine comprobentur*. Quibus Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici ministerii* pro Hispania lata, et a Benedicto XIII. pro toto orbe distensa, aliam benignam interpretationem (ut testatur Lambertini postea Benedictus XIV. *Notif. 2. n. 16. et 36.* dare non potuit, quam ut Ordinandi saltem morali theologia callerent.

53. Quapropter Episcopo incumbendum est, ut seminarium optima directione constitutum habeat, ab hoc enim (statuendo ut nemo Ordines ambiat, qui saltem tres aut quatuor annos ibi commoratus non sit) postea seligentur parochi confessarii, et cæteri sacerdotes; et ita poterit diœcesim suam cultam reddere. Dixi *seminarium optima directione constitutum*, alioquin seminarium esset majori perniciæ juventuti, et diœcesi. Juvenes qui seminarium ingrediuntur (quantavis diligentia adhibeatur) non omnes erunt angeli: multi non afferunt eo spiritum; sed ibi acquirere debent illum. Igitur si seminarium erit male directum, eveniet quod etiam illi, qui tamquam angeli ingrediuntur, paulo post tempore dæmones evadent, et ipsi suæ vitæ contagione contaminabunt totas suas regiones. Quare Episcopus si obditum tenuitatem, aut ob aliquem alium defectum non posset suum seminarium de bonis ministris providere, tenetur penitus illud extinguere, nisi velit Deo tot criminum et scandalorum rationem reddere. Oportet igitur, ut seminarium optima disciplina floreat tam in spiritu, quam in lit-

teris. Quod ad spiritum attinet, 1. In regulis constitutum sit ut nunquam desit meditatio, ut Missæ quotidie intersint, ut adsit lectio spiritualis, visitatio Sacramenti, conscientie examen, silentium extra tempus solatii: et hoc omne servetur quotidie. Item qualibet hebdomada confiteantur, et communicent, aut saltem bis in mense, accedendo bonos et plures confessarios, et etiam alios extraordinarios pluries in anno. Item quolibet mense sit unus dies solitudinis spiritualis, in quo aliquis pater bono spiritu dotatus faciat sermonem ac fiant quolibet anno exercitia spiritualia: oporteret etiam statuere, ne tempore feriarum seminaristæ domos adirent: nam tunc (præcipue tempore vindemiarum) isti intermittunt omnia exercitia spiritualia, et illo mense, aut bimestri cum foris vivunt, quantum boni acquisiverunt, amittunt, et regrediuntur in seminarium vitii et peccatis onusti. 2. Debet Episcopus procurare bonum pastorem, qui sit zelo plenus, et experientia exercitatus, qui sit sagax ad suspicandum de unoquoque, et de qualibet actione, et vigilans ad discurrendum per classes, et defectus indagandos, sæpe præfectos interrogando, et etiam aliquem fideliorum seminaristam, qui præventus sit in qualibet classe, ut sibi referat defectus, quos animadverterit. 3. Debet procurare præfectos moribus probatos, qui nunquam a suis classibus absint, nec familiaritatem peculiarem permittant seminaristis inter se habere, et animo forti sint in corripiendo et fideles sint in referendo apud rectorem qualibet hebdomada delinquentes. 4. Expediit ut Episcopus sæpe adeat seminarium, et semel, aut bis in anno particulare scrutinium faciat, interrogando quemvis seminaristam, an adsit aliquid inconueniens. 5. Præ cæteris debet invigilare Episcopus super pueros, qui in seminarium recipiuntur, operam dando ne ingreditur aliquis, qui dudum exemplo

bono non fuerit, secretas informationes de illorum moribus inquirendo. Satis est habere paucos et bonos, quam multos et imperfectos, qui suæ vitæ turpitudine etiam bonos contaminent. Deinde utendum est stricto rigore, miseratione omni postposita, cum incorrigibilibus, et cum aliquo, qui scandalum positivum præbuerit, v. gr. impuritatis, tumultationis, furti, etc. Hujusmodi seminarista prima vice tolerandus esset post diurnam, et exemplarem animadversionem; sed tutius consilium est eum statim e seminario expellere, quia talis ovis contagione inquinata potens est totum seminarium corrumpere. In hac re charitatem adhibere non est charitas, sed tyrannus, et injustitia, quia Episcopus ex justitia tenetur damnum commune evitare. Quod ad scientias attinet, maxime interest ut Episcopus curet sedulo instruendos juvenes in lingua latina, aliter in cæteris scientiis parum proficient, et parum intelligentibus latinitatem parum gratum erit studere. Curet etiam ut addiscant philosophiam (et præcipue logicam, sed meliorem) et theologiam scholasticam et dogmaticam. Sed præ cæteris in diœcesibus non numerosis necesse est, ut seminaristæ omni sedulitate incumbant morali, ut habiles fiant ad audiendas confessiones, et Episcopus possit eorum opera uti, cum oportebit. Alias cum e seminario profecti sunt, non amplius student, et inutiles Ecclesiæ remanebunt. Expediit etiam ut exercentur seminaristæ nunc unus in docendis pueris doctrinam christianam qualibet hebdomada, nunc alius in aliqua concinacula, colloquiis, etc. Ita ipsi et alii erga exercitia apostolica pro tempore, cum egressi fuerint e seminario, amore inflammarentur. Ideoque utilissimum est instruere seminaristas circa talia exercitia. Qui vellet alia circa bonum regimen seminarii, potest observare meum parvum libellum, quem ad hoc typis dedi.

54. Tenetur II. Episcopus ad eligendos bonos parochos et bonos confessarios. Quoad parochos, jam conpertum est, præferendos esse digniores. Etiam in beneficiis simplicibus probabilior sententia cum s. Thoma et aliis (1) requirit præferendos esse digniores, quia hoc exposcit utile commune Ecclesiæ. Sed quoad parochialia certum est ex Trident. Episcopum teneri ad eligendum digniorem spectata qualitate concurrentium, nempe consideratis prudentia, ætate, meritis, sed maxime scientia est vitæ probitate. Quoad scientiam potest bene Episcopus se conformare examinatorum iudicio; sed sua præcipua diligentia sit, ut ipse cognoscat de vitæ probitate, inquirendo notitiam a diversis. In dubium revocanda non est maxima s. Francisci Salesii, quod in curis animarum præferendi sunt sufficienter docti doctioribus, qui spiritu sunt inferiores. Et S. C. de parochorum electione (ap. Piasec. pag. 528. n. 19.) sic decrevit: *Præferendus est minus doctus (modo idoneus) quando ejus mores sunt approbati, doctiori. cujus vita ignoratur.* Pro certo habendum parochum probum uno mense utiliore esse populo, quam parochus doctior, sed minus probus toto anno.

55. Tenetur etiam Episcopus se informare ab aliis an parochi dent operam docendo pueros doctrinam christianam, an prædicent, et an prædicent ad Tridentini præscriptum. De hoc debet Prælati sæpe admonere parochos, ut parvulis frangant panem verbi divini, hortando etiam eos, ut in concionibus conentur insinuare res, quæ ad usum conducunt v. gr. quomodo repellendæ sint tentationes, quid dicendum, cum occurrunt res adversæ, aut cum injuriis quis afficitur, et hujusmodi. Item perquirant Episcopi, qua diligentia parochi, et confessarii incumbant in audiendas confessiones. In aliquibus locis parochi, et confessarii

(1) Lib. 4. n. 93.

assistunt etiam choro; sed quid accidit? Accidit quod, dum populus est magis frequens in ecclesia, illi pergunt in chorum, et populus per plures menses differt confiteri: ad hoc Episcoporum est remedium afferre. Item perquirant an parochi sint diligentes, ut pueri capaces decem annos circiter nati communicent, ut supra dictum est. Item, an seduli sint ad colligendas schedulas Communionis paschalis, ut videant an omnes præcepto satisfacerint: an orationis mentalis exercitium perseveret, an visitatio sanctissimi Sacramenti, et Beatæ Virginis fiat in communi in ecclesia, ut in multis regionibus in usu est. Et magni refert ut curet Episcopus introduci hunc usum, ubi non est, et restaurari, ubi intermissus est; et confirmari, atque augeri, ubi reperitur. Commendet quoque assistentiam moribundis, et congregationibus secularium. In pluribus locis nostris Missionibus introduximus congregationes puellarum. Hæ ita disponuntur; congregentur in aliqua ecclesia omnes puellæ sexdecim annos et infra nate, quolibet die dominico vesperi: ibi sacerdos nota probitate ad hoc designatus, præter doctrinam christianam, exhibeat brevem et simplicem sermonem, aut instructionem supra orationem mentalem, aut circa modum suscipiendi Sacramenta, aut circa aliquam virtutum illi ætati convenientem, et postremo assignet devotiones, quæ practicari debent ab illis in illa hebdomada, et præter regulas, quæ præscribuntur, sacerdos sæpe in memoriam reducat earum, ut non omitant recitare quotidie rosarium, visitare sanctissimum Sacramentum, saltem ex propria domo, conscientiam examinare, Sacramenta frequentare saltem semel in hebdomada, ut modesto ornatu ostendantur, et hujusmodi. Hæ congregationes, sive collectiones puellarum, causant postea bonum summum, quia si ipsæ postea nubent, faciliter doce-

bunt filios ea, quæ ipsæ factitarunt, et familiæ integræ sanctificabuntur.

56. Præterea maxima debet esse Episcopi diligentia in seligendis confessariis. A confessariis pendet directio conscientiarum omnium subditorum, et unus confessarius, qui sit ignarus, aut moribus pravis, potest totam regionem perditam facere. Non debet igitur Episcopus aliquem probare, quin prius certus fiat de ejus probitate, et doctrina, examinando eum super morali. Nonnulli Episcopi facultatem audiendi confessiones præbent indistincte omnibus concionatoribus quadragesimalibus, et omnibus aliis qui in aliis diocesisibus jam probati fuere. Sed alii Episcopi scrupulum sibi faciunt de hoc, et merito, cum postea observantur tot mala, quæ oriuntur ab hujusmodi confessariis cæco ductu approbatis. Si prælatus cupit habere confessarios, quorum opera uti possit sine scrupulo, præter congregationes casuum moralium, quæ solent fieri in multis diocesisibus, curet statuendas in qualibet regione academias morales bis aut ter in hebdomada, notum faciendo, ab eo nullum admissum iri ad audiendas confessiones, qui saltem per annum non interfuerit hujusmodi academiis, quæ maxime utiles (ne dicam necessarie) sunt illi, qui vult in hac scientia esse versatus, dum ita melius dubia disceptantur, et doctrinæ magis in memoria figuntur.

57. Optimum concilium esset etiam, si Episcopus curaret in locis grandioribus suæ diocesis congregationes particulares statui sacerdotum, et clericorum magis vitæ spirituali addictorum, ubi se exercerent qualibet hebdomada in praxi audiendarum confessionum, aut moribundis assistendi, aut celebrandi Missam et aliquando se exercent in aliqua oratione (vulgo *Sentimento*) facienda, colloquio, sermone, aut instructione. Hi congregati vero habebunt suas peculiares regulas, v. gr. veste ta-

lari semper vestiendi, aleis non ludendi, etc. ut populus de eis venerationem concipiat. Nihil refert hos paucos esse, imo expedit multos non esse, ut cautiores et magis addicti in operibus charitatis se servent. Et Episcopi diligentia erit semper eos ad id inflammare, ac etiam de eis bene mereri, saltem dando eis conciones quadragesimales; aut alias conciones, etiam mittendo eos ad aliquam Missionem, aut exercitia spiritualia facienda; hortando eos semper, ut stylo simplici et populari concionentur, si cupiunt fructum ex concionibus afferre.

58. Item, ut bene advertit Roncaglia cum Quarti et Pasqual., Episcopus sub gravi tenetur invigilare, ut sui sacerdotes Missam celebrent debita attentione et gravitate a tanto Sacrificio requisita sine verborum, et cæremoniarum conculcatione, ut impie cum communi scandalo secularium a nonnullis, ne dicam plebisque, sacerdotibus factitatur, quæ quidem conculcatio, cum est notabilis (ut necessario evenit), certe est peccatum mortale, ut dicitur loquendo de Sacrificio Missæ *Tract. 15. cap. 4. n. 84.* ubi considerabitur ex proposito hoc punctum. Sed quod ad Episcopos attinet, declaratum est in Trident. *Sess. 22. Decr. de observ. in celebr. Miss.* eos teneri (et quia materia est gravis, certe gravis est obligatio) prohibere in suis diocesisibus quominus tali irreverentia Missæ celebrentur: *Decernit s. Synodus* (sunt verba Concilii), *ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere... sedulo curent, ac teneantur, quæ... irreverentia (quæ ab impietate viz. sejuncta esse potest)... induxit.*

59. III. Maxima etiam esse debet cura Episcoporum in non negligenda visitatione oppidorum, quam Tridentinum districte præcipit Episcopis in *Sess. 24. c. 3. de ref.* ubi dicitur: *Episcopi propriam diocesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem vica-*

rium, aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se, vel per visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. Et subjungitur: *Studeant quam celerrime cum debita tamen diligentia visitationem persolvere. O quot perturbationibus occurritur a Prælo, circumeundo, et propriis oculis res inspiciendo! Impossibile est tam bene diœcesim gubernare per alios, quam per proprium pastorem. S. Carolus Borromæus licet bonis ministris provisus fuisset, non omittebat ipse personaliter adire, et gravi incommodo visitare etiam regiones remotiores suæ diœcesis. Ipse ut aliquoties adiret aliquod oppidum cum visitatione, reptans per lutulenta et nivosa loca iter fecit, et percurratur ejus vita, ut observetur quantum ille operatus sit, et quantum suis visitationibus profecerit. De s. Francisco Salesio narratur etiam, ut aliqua loca visitaret necesse sibi fuisse per semitas adeo difficiles et asperas progredi, ut plantas pedum decorticatas haberet, adeo ut per plures dies pedibus insistere nequiret. Aliquando contigit ei super foliis dormire, et se roganti, ne vitam suam periculo exponeret, Sanctus respondebat: *Me vivere non est necesse; sed est necesse, ut muneri meo satisfaciam.**

60. In istis autem visitationibus debet Episcopus efficere ut suæ oves pastoris vocem audiant. O quam, plus quam aliorum, proprii pastoris vox movet! s. Carolus in visitatione solebat bis, aut ter inde concionari. Item debet examinare pueros, ut videat quomodo instructi sint; et ita potest consulere parochorum negligentiam, eos corripiendo, et etiam substituendo aliquem œconomum ad docendos pueros doctrinam parochi impensis, saltem ad aliorum exemplum; item incumbat, præsertim in oppidis, in examinandos sacerdotes

in cæremoniis Missæ, et suspendat a celebratione sine ulla misericordia eos, qui uti debent eas non callent. Potest etiam Episcopus ad examen revocare confessarios approbatos, et ex juxta causa etiam parochos; vide *Tract. 16. n. 75.* Imprimis debet scrutinium personale adhibere de omnibus sacerdotibus regionis, unumquemque secrete interrogando, primo de suis muneribus, ut ei insinuet quod oportebit, et deinde de aliorum defectibus, et præsertim parochi, et confessariorum, verbi gratia, quomodo suo muneri dant operam, cum quibus versantur, etc. Nonnulli Episcopi vigilantes apud se habent libellum memorialem, ubi qualitates bonas aut malas uniuscujusque ecclesiastici adnotant. Hæc monumenta possunt inservire sexcentis rebus bonis, et præcipue ut parochorum electionem, confessariorum, aliorumque ministrorum sibi certam faciant. Et postremo interroget de abusibus, scandalis et discordiis, quæ in regionibus serpunt. In istis visitationibus curet ad fervorem erigere congregationes sæcularium, ac eas de auxiliis opportunis providere assignando concionatorem ac confessarium, si istis carent. Et tunc potest etiam particulares congregationes sacerdotum Missionariorum superius adnotatas instituire. Expediret etiam ut in istis visitationibus Episcopus in confessionali sederet, ut auscultaret aliquam personam, quæ illum in secreto alloqui vellet. Denique non prætermittat in visitatione Confirmationis Sacramentum administrare. Et compertum est apud omnes, graviter peccare illum Episcopum, qui diutius differt hujus Sacramenti administrationem, quia privat suas oves tanto bono. Quare dicunt Castropal. Salm. et Croix non excusari a mortali, si per 8. aut 10. annos saltem non circumit (et suis expensis si consuetudo aliud non ferret) regiones saltem princi-

pales diœcesis tale Sacramentum administraturus, modo hoc sibi non esset moraliter impossibile.

61. VI. Episcopo curæ esse debent monasteria Monialium; quocirca 1. invigilare debet sedulo, ut puellarum profiteri cupientium voluntatem exploret, quandoquidem major harum pars religionem ingrediuntur non Dei vocatione sed parentum impulsione; et hinc fit postea, ut vitam ibi ducant inquietam, et introducant laxitates in communitatem cum damno communi. 2. Tempore visitationis, quæ quolibet anno fieri debet in monasteriis sibi subjectis juxta Clem. *Attendentes de statu Mon.* (circa autem visitationem monasteriorum exemptorum quoad clausuram vide *Tract. 20 de privilegiis n. 80*) debet ille particulare scrutinium adhibere, secreto sigillatim Moniales audire, ut cognoscat si in monasterio adsit aliquod scandalum, aut morum dissolutio. Sit nihilominus cautus, ne partialis videatur alicui factionum, quæ forsant vigent in monasterio. Audiatur omnes, et postea de opportunis provisionibus prospiciat. 3. Non sit facilis ad extraneis veniam colloquendi cum Monialibus dandam. Suadeat sibi affectiones multoties non in principio contrahi sed temporis progressu, et diuturna consuetudine; et unica animorum cum exteris adhæsiō potest esse scandalo, et ruinæ toti monasterio. Et si monasterium extra suam residentiam esset, Episcopus admo- neat vicarium, cui hoc curæ est, ut nimis sit parcus et circumspectus in dandis hujusmodi licentiis. 4. Curet pariter pluries in anno in dandis confessariis extraordinariis, saltem ut remedium afferatur confessionibus nullis, aut sacrilegis, quas nonnullæ Moniales apud ordinarios faciunt; nec credat hos casus esse valde raros; nec in hoc attendat Monialium postulationem, quia quæ magis indigent sunt magis difficiles ad requirendum extraordinarium. Et

cum eum assignet, unamquamque obliget ad illum adendum, si non ad confitendum, saltem ad colloquendum, uti statuit Benedict. XIV. in sua Bulla, *Pastoralis curæ*, qui explendo verba Tridentini sess. 25 c. 10. *Qui* (confessarius extraordinarius) *omnium confessiones audire debet*, sic ait: *Extraordinario confessario singulæ se sistant, ad sacramentalem confessionem apud ipsum peragendam, sive ad salutaria monita accipienda... ne aliæ censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ essent, aliæ vero ab hujusmodi necessitatibus immunes judicarentur.* Convenit etiam ut Episcopus sine præcisa necessitate non inducatur ad confirmandos ultra triennium confessarios ordinarios. Postremo curet ut singulis annis dentur exercitia spiritualia ab aliquo sacerdote exemplari, et perito communitatum disciplinæ: dico hoc, quia secus potest accidere quod potius damnum, quam utile percipiatur.

62. V. Episcopus (ut supra dictum est) tenetur ad residentiam, sed strictius parochi, ille enim est illius gregis principalis pastor. Episcopo in ejus ordinatione consignatur annulus, ut illum gerendo consideret non esse amplius sui juris, sed Ecclesiæ suæ sponsæ, ut perpetuo, dum vivit, ei assistat. Conceditur tamen a Concilio Episcopis posse abesse tres menses ex causa a diœcesi, sed notetur quod Benedict. XIV. 3. Dec. 1746, in Bulla *Ad universæ*, declarans hanc causam (quæ a Tridentino nominatur *æqua*) dicit eam non debere esse futilem, nec ob vanum solatium: *Animi levitas oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ excluduntur*, sunt verba Pontificis. s. Carolus cum extra suam diœcesim esse cogebatur, catenis (ut legitur in ejus vita) obstrictus esse videbatur ob vehementis desiderium, in quo erat citius redeundi. Cardinalis Bellarminus, li-

cet a Papa coactus Romæ morari, et extra ecclesiam suam Capuanam, se ob bonum Ecclesiæ universalis, sibi non videbatur ipse tutus in conscientia, ideoque se Episcopatu abdicavit.

63. VI. Episcopus tenetur ad corripiendum, et ad scandalis occurrendum strictius quam parochi, tum quia ipse est principalis pastor, tum quia majore auctoritate sua potest malis consulere, invocando etiam, si opus est, auxilium principis secularis; uti fit a multis bonis Episcopis, et quidem voti sui fiunt compotes. Hoc est illud grave onus, quod Episcopi etiam sancti mirum in modum formidant. Episcopus Neriti Sanfelic fel. mem. dicebat: *Quomodo somnum capere possum, cum scio aliquam ex ovibus meis Dei gratia carere?* Verum est tale officium odio esse non paucis, et Episcopo, ut bene eo fungatur, conciliandæ sibi maledictiones, aversiones et etiam vitæ pericula; sed bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Dicebat idem Episcopus Sanfelic: *Episcopum in acceptando episcopatu præparare se debere, aut ad esse inquisitum, aut venenatum, aut damnatum.* Ut recte occurratur scandalis, opus est ut Episcopus attendat assidue ad inquirendum, et non tantum a parochis, vel a vicariis foraneis, qui multoties ob humanos respectus, aut ne videantur negligentes, tacent; sed etiam perquirat ab aliis sacerdotibus zelantibus, quos ubique locorum diœcesis ad id destinatos habeat, ut ab ipsis certior fiat de omni quod sciunt. Et cum ad se adeunt parochi et vicarii, curet statim coram se admittendos, et cito expediendos, ut postea sint faciles ad redeundum, et ne excusationem afferant, se non posse tamdiu expectare.

64. VII. Episcopus tenetur ad largiendas eleemosynas. Ecclesia redivitibus episcopatum non instruit ut suo libitu profundat Episcopus, sed

ut pauperibus succurrat; patrimonium pauperum est mensa episcopalis. Sanctus Gregorius ait, eleemosynam esse primum opus misericordiae, quod pastor suo gregi præstare debet. O quot malis potest Episcopus eleemosynis prospicere! Quot sponsi vivunt in peccato, quia eis non suppetit modus matrimonium perficiendi! Quot pueri ob paupertatem dormiunt una cum parentibus, aut mares cum puellis in eodem lecto cum tanta animarum pernicie! Ideoque boni Episcopi curant perquirere a parochis de necessitatibus, quæ adsunt, et eis imponunt ut se certiores faciant, quoties aliquod occurrit. Scio equidem doctores (1) dicere, posse beneficiatum servare fructus superfluos suæ sustentationi (intelligitur semper ac pauperes in gravi necessitate constituti non sunt) ut eos impendat in emendis redditibus pro Ecclesia, aut ut in posterum aliis majoribus necessitatibus provideat; scio etiam Episcopos sanctos non legare nummos, aut prædîa empta, sed æs alienum. Dedit Episcopus, dicebat s. Carolus, ut fama audiat, quod ipse nummos in arca retineat. Et sanctus Thom. de Villanova dicebat quod si moriendo nummos reliquisset, se pro damnato habiturus esset.

65. Omitto denique sermonem facere de aliis Episcopi muneribus, v. g. de Missa quam ipse, etiam plus quam parochus, tenetur in festis pro suis ovibus applicare. De accessu quem ad se patentem assidue tenere debet subditis, etc. et præcipue parochis et vicariis foraneis, quos statim ad sui præsentiam admittere tenetur; nec non rationem exquirere a vicario capitulari de omnibus quæ fecit, ut præcipit Trident. Sess. 24, c. 16. de reform. Sed omittere non possum, quin aliquid dicam de bono exemplo, quod ipse cunctis exhibere debet. Si pastor cupit, ut oves ad montem ascendant, opus est ut præ-

(1) Lib. 3. n. 491. Quær. 4.

eat ipse. Episcopus est illa lucerna a Deo super candelabro posita, ut luceat omnibus, qui sunt in domo Domini. Igitur oportet, ut dixit s. Paulus Tito, Prælatum omnium virtutum, quas in suo grege videre cupit, se exemplum ostendere. Sit exemplo *mansuetudinis*; beneficia cum potest ingratis et inimicis, a quibus vexatur, rependendo. Perspicua exempla habemus, quæ nobis reliquerunt s. Carolus, s. Franciscus Salesius, et nuperrime Emilius Cavaliere Episcopus Trojæ, de quo erat proverbium: *Qui ab Episcopo Cavaliere vult beneficiis affici, oportet ut de ipso male mereatur.* Sit exemplo *paupertatis*; verum est quod Episcopus quin justitiam lædat, potest impendere quantum suam decentem sustentationem decet, sed in cunctis deberet efficere ut sancta paupertas splendeat. Paupertas in habenda familia moderata: tot tantum sibi famulentur, quot suæ mere necessitati satisfacere sufficient. Paupertas in vestitu, et in modesta ac simplici domus suppellectili; Episcopus enim, qui palatium sumptuosa suppellectili, quæ laici oblectantur ornatum habet, non utique adificationem præ se fert populo. Sanctus Carolus e domo sua omnia aulæa tapetia, paramenta et curiosas imagines penitus dimovit. Paupertas in mensa frugali, et pro comperto habeatur, quod nihil aliud poterit magis Ecclesiastici apud vulgus existimationem conciliare, quam

frugalitas in victu: *Vivere autem de altari, non lucrari concessum est.* Can. I. dist. 44. Et Trident. jubet, *quod modesta suppellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint.* Sess. 23. c. 1. de ref. Ita pariter exemplo *sitorationis*: Cardinalis de Areticoconsulto descendebat in ecclesiam oraturus ante ss. Sacramentum, ut alios exemplo suo moveret. *Mortificationis*: abstinendo a quibusdam solatiis Prælatum non decentibus. *Solitudinis*: ad secularium consuetudines, nisi ex necessitate non accedendo. *Modestiae*: mulierum commercia aufugiendo, et cum necesse sit, maxima cautela cum eis agendo. *Zelo*: operam dando, ut in omni privato sermone de Deo eloquia immisceat, uti s. Carolo moriserat, dum sibi cum quibuscumque agendum erat.

66. Dixi, loquendo de parochis a bonis parochis pendere subditorum salutem. Nunc dico a bonis Episcopis pendere salutem totius diœcesis; nam Episcopus promovet bonos clericos, bonos sacerdotes, eligit bonos confessarios, et bonos parochos: suo bono exemplo, et vigilantia multum confert, ut in probitate sua illi perseverent, et ita univarse in diœcesi pietas vigere videatur. Propterea in hac materia de pastorum debito fusius egi, quam in aliis, quia in hac agitur de bono, vel damno communi, quod omne in pastorum bono vel malo ductu positum est.

TRACTATUS VIII.

DE QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE OCCISIONE SUI IPSIUS.

1. et 2. Quando licet vitam periculo exponere.
3. De puerorum eviratione.
4. De ebrietate.
5. An liceat inebriari pro medicina.
6. An ut evitet occisionem.
7. An liceat inducere proximum ad se inebriandum, ut impediatur eum a majori malo.

8. Quæ culpæ imputantur ebrio, et de peccatis in causa.

1. Nemini directe, et ex proposito sine auctoritate, aut inspiratione divina (qua nonnulli martyres mortem sibi ipsi sine culpa intulerunt) seipsum interficere permittitur. Ita pariter non licet positive gravi vitæ periculo se exponere: quare peccant funambuli (qui super fune ex locis